OBSERVATIONES
DE
CHOLERA ASIATICA
IN
EPIDEMIA UECKERMUENDENSI.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE

GRYPHISWALDENSI

SUMMIS IN MEDICINA, CHIRURGIA ARTE

OBSTETRICIA HONORIBUS

DIE IX MENS. JUNII ANNI MDCCCLXVI

SIBI CONCESSIS

EDIDIT

AUCTOR

FRANZISCUS PATCZEK,

POMMERANUS.

GRYPHIAE.

TYPIS FRIDERICI HACHE.

DR. AUGUSTO STIMPEL

SIGNUM AMICITIAE.

Observationibus, quas hoc libello prodere in animo est, cum ipsae maximis cum difficultatibus essent conjunctae, permulta atque gravia praeterea obviam fuerunt impedimenta.

Nam cum medicis in praxi privata saepissime res fere inauditas accidere constat, quae in clinico vel nosocomio non inveniuntur, tum in illo oppido permulta erant, quibus medicorum patientia fatigabatur. Medicos a custodibus infidelibus, in praxi privata falli, satis notum est; praeterea quantum et plebeculae stultitia, quae quamvis litterae satis divulgatae sint, ad hunc diem semper superstitione tenetur, et eruditorum notitia rerum naturalium, ex multis libellis in usum imperitorum conscriptis mediocriter hausta, aut noceri videatur aut negligatur, nemo est, qui nesciat. Quae res si solae nobis obstitissent, laetissimo animo opus suscepissemus.

Sed primo tempore, cum morbus terribili quodam modo saeviret homines, quasi dementia capti et nullum huius mali remedium sibi esse, rati, medicos ad aegrotos non adhibebant, nisi quo tempore supremum diem effugere jam non poterant.

Jam, cum aegroti eodem fere morerentur mo-mento, quo primam medicamentorum dosin sumeren per totum oppidum fama venena a medicis ordinar divulgabatur.

Credi profecto vix potest, bestiarum pabulis me-dicamenta admixta esse, et cum felis opio, quo inerat, necaretur, jam veram habitam esse illa famam; unum e medicorum numero, priusquam ae-groto ingererentur medicamenta, adstantibus famili-aribus, dosin aliquam sumere coactum esse.

Res cum ita se haberent, intelligi potest, quar difficile fuerit, singulorum aegrotorum symptomata eventumque medicamentorum recte observare; nar et remediis domesticis morbi symptomata persaep turbata esse constabat et remedia, quae aegrotis or-dinata erant, num essent adhibita an rejecta, du-bitari interdum poterat. Accedit, quod propter nimi-um aegrotorum numerum neque pulsus neque tem-peraturam accuratissime metiri licuit; quod vel custo-dibus nullo modo relinqui potuerat, quippe, qui — cun antea omnibus aliis rebus, praeter aegrotorum cu-rationi studuissent, essent stultiores, quam qui tal munere fungi possent et semper potius libidinibu aegrotorum, quam medicorum jussis obedirent.

His de causis etsi solae observationes in noso-comiis vel clinicis institutae — ubi custodes fidele adsunt, per singulas horas et aegrotos videre e pulsum atque temperaturam metiri licet. — ad con-firmandam augendamque medicinae scientiam mul-

tum afferre possunt, tamen spero, fore ut vel ex meis observationibus aliquis fructum capiat, quoniam per praxis privatae molestias atque difficultates institutae sunt. —

Aetiologia et Dispositio.

Choleram re quadam, cujus natura adhuc omnino nobis ignota est, et gigni et divulgari, fortasse nemo est hodie, qui non credat. Sed hoc virus, ubi inveniatur, multum adhuc disputatum inter eos, qui huic rei animum intenderunt, necdum constat. Plerique Pettenkoferium secuti mihi videntur, ex cujus sententia unice dejectionibus aegrotorum fermentantibus virus gignitur, morbusque propagatur, praeterea, ubi inveniuntur hae dejectiones, infectionis sedes — ut nos dicimus Infectionsheerd — exoritur, denique homines, qui versantur in tali loco, inficiuntur. —

In his dejectionibus virus inesse, et experimentis, institutis a Pettenkoferio demonstratur, et imminuto aegrotorum numero illis in locis, ubi desinfectio dejectionum accuratissime adhibita est. Sic et in oppido Ueckermuendensi, ubi primo tempore omnino desinfectio neglecta erat, cum et accuratissime et severissime efficeretur, jam non tam multos morbo affici, apparuit.

Postquam enim eo venimus pridie II. Kal. Jul., desinfectio incipiebatur a. d. V. Non. Jul. Afficiebantur morbo:

a. d. XI. Kal. Jul.	1	Kal. Jul.	31
- - X. - -	2	a. d. VI. Non. Jul.	28
- - IX. - -	5	- - V. - -	37
- - VIII. - -	4	- - IV. - -	13
- - VII. - -	9	- - III. - -	11
- - VI. - -	3	prid. Non. Jul.	12
- - V. - -	6	Non. Jul.	26
- - IV. - -	18	a. d. VIII. Id. Jul.	7
- - III. - -	14	- - VII. - -	11
pridie - -	29	- - VI. - -	4
		etc.	

At ex sedibus illis infectionis solis esse originem morbi, credere nullo modo possum; praeter quas etiam cadaveribus putrescentibus sine ulla dubitatione item virus contineri mihi videtur, quod ex eo colligo, quod, qui in oppido Ueckermuendensi primus morbo afficiebatur, domum habitavit, ubi cadaver hominis Sedini mortui aliquot dies sepositum erat, et qui ad sepeliendum in domum jam commemoratam convenerant, eidem morbo succubuerant; porro, quod, quorum officium erat cadavera ex oppido avehere, celerrime succubuerunt.

Cadaverum vero recentium contagione item ut aegrotorum ipsorum morbum nequaquam in alios vulgari, pro certo habeo, quod ea re praesertim demonstrari mihi videtur, quod neque mulier, quae plus 200 cadavera laverat neque medicorum vel custodum aliquis morbo afficeretur.

Sed alias praeterea esse causas, quibus homines, qui nunquam infectionis sedibus appropinquaverint,

infici possint, satis mihi constare videtur. Mortuus ibi est filius navigatoris, quem, semper aut in patris navi, aut in ripa, prope navim, fuisse, certo expertus sum, ubi aegroti nunquam fuerunt; porro infantes medicorum duorum, habitantium in oppido, in morbum inciderunt, qui — quod semper in domo retinebantur — nunquam infectionis sedi sese exposuerant; qui quo modo morbo affecti sint, illa Pettenkoferii theoria, de „sedibus infectionis" satis explicari non potest.

Immo, etsi verisimillimum mihi esse videtur, dejectionum fermentatione exoriri sedes infectionis et has praecipuas esse morbi causas, tamen vel totum insuper aera infectione completum esse, mihi persuasum est, quo efficitur, ut unusquisque hominum Cholerae virus — quamvis minimam partem — in se recipiat; attamen ut quis morbo ipso afficiatur, magni esse momenti, quae sit natura, quae sit dispositio, praecipue vero quae sint causae accedentes vel adjuvantes, quibus quis sese exposuerit; eum denique, qui propter corporis naturam morbo non ita facile obnoxius sit, paullatim viro quodammodo assuefieri.

Ita quae Pettenkoferii theoria explanari non possint, jam apparere videntur; — Primum quod modo de tribus illis hominibus morbo affectis commemoravi; tum quod fere omnes homines etiamsi leviter, hoc tempore morbo afficiuntur. Quae indispositio etiamsi saepissime mira quadam animi excitatione efficitur, et propter diligentiam, qua sui quisque cor-

poris afflictationibus curam intendit, multo magis animadvertitur, quam alio tempore, vel homines sapientes et intrepidi minime carent levibus morbi symptomatibus. Praeterea sententia mea etiam ingenti diarrhoearum numero satis comprobari videtur, quibus ubicunque adest epidemia, homines vexantur (nam inter 230 aegrotos, quibus per quinque hebdomades consului, non nisi viginti neque Cholera neque diarrhoeis laborabant) et quod iis locis, quibus dejectionum desinfectio nulla adhibetur, tamen aliquot homines morbo omnino carent.

Tanta enim fermentantium dejectionum quantitate in unum locum congesta, totus locus ingens infectionis sedes fiat, necesse est, ita ut omnes incolae morbo afficiendi essent. Quod cum re vera ita se non habeat et naturae cujusque differentiam multum valere et, eos quorum natura morbo vel viro non favet, paullatim tutos fieri apparet.

Tempestatem aliquid valere mihi verisimile esse non videtur, quod caloris frigorisque vicissitudine aegrotorum numerus in nostro oppido neque augebatur, neque minuebatur. Cui sententiae non repugnat, quod hieme pestilentiae vis tollitur, quia glacie dejectionum fermentatio omnino opprimitur et interrumpitur.

Quare et cadavera putrescentia, et dejectiones fermentantes, praecipue virus mihi continere videntur, insuper tamen totus aer eodem compleri, ita ut quicunque in oppido cholera cruciato versetur inficiatur, attamen quo major sit dispositio, vel quo

majorem viri partem susceperit, vel quo magis causis adjuvantibus sese exposuerit, eo facilius morbo ipso afficiatur.

Quod attinet ad dispositionem morbus neque aetati, neque sexui neque hominum condicionibus parcit; Saepe quidem ut miraculum, pauperum majorem numerum morbo succumbere audivimus, at si, omnino pauperum numerum majorem esse quam divitum, animo perpendemus, nihil admirabile erit in hac re. Deinde propter angusta insalubria domicilia multo magis expositi sunt infectioni.

Homines natura debiles vel morbis chronicis debilitati facile succumbunt, praecipue potatores — qui propter catarrhum gastricum chronicum exortum Alcoholismo chronico — praeter alios dispositi sunt. Inter 56 mares aegrotos praeter triginta pueros octo potatores fuere, h. e. tertia virorum pars. Etiam mulieribus gravidis, qui a multis aliis morbis liberae sunt, hic morbus non parcit.

Omnino vero feminarum et impuberum natura paullo facilior est ad morbum suscipiendum; nam inter 125 aegrotos, Cholera affectos, ut modo diximus 26 viri, ceteri mulieres vel impuberes fuerunt. —

Dispositio vero augeri potest aliis causis adjuvantibus, quae jam per se catarrhum gastricum acutum efficere possunt, ut refrigerationes, vitia diaetetica, momenta psychica. Post magnam refrigerationem subito morbum prorupisse, bis vidi, quinquies post convivia, epulas nuptiales etc. In urbibus majoribus

nuper diebus Lunae et Martis, propter dies Solis immodice celebratos, numerum aegrotorum augeri, in nostro oppido observari non licebat, quia a magistratibus, ne publice festi dies celebrarentur, laudabili severitate interdictum erat.

Quae cum inter omnes constare videantur, quantum momenta psychica valeant, valde diversae extant sententiae; et sunt, qui omnino, metu, angore, terrore aliisve affectibus Choleram provocari posse negent. Quam sententiam, etiamsi aliis temporibus omnino professus sum, tamen duorum hominum morbi cursu, ut commutarem opinionem, adductus sum. Duae enim feminae, subito terrore propter familiarium mortem affectae, subito in morbum inciderunt. Qua in re — id quod jam supra commemoravi — id semper tenendum est, tales affectus esse non nisi causas adjuvantes, quibus homines, jam antea Cholerae viro imbuti, aptiores fiant, qui morbo ipso afficiantur; nam et aliis temporibus apud homines summo terrore affectos temere fieri videmus aut urinae aut excrementorum evacuationes. Praeterea homines timidos, magis morbi impetui expositos esse quam intrepidos, facile intelligi potest ex eo, quod illi perpetua animi excitatione et angore corpus totum debilitant, et nimia diaeta caduci fiunt.

Propter causas supra commemoratas sectiones cadaverum institui non potuissse, apparet.

Symptomata et exitus.

Quod attinet ad cursum et exitum Cholerae, vix

puto morbum esse, qui tam diversis utetur formis. Multum ad hoc sine ulla dubitatione therapia familiarium confert, qua ut semper diversae imagines vel symptomata aegrotorum obversentur efficitur nec satis caveri potest, ne, quidquid aliquis conspiciat, id symptoma morbi esse arbitretur, vel ad quod stadium advocatus sit, id initium esse casus, putet. Et id bene observandum est, medico nihil esse credendum, quod non ipse viderit, quoniam laici nihil antiquius habent, quam ut, quicunque in epidemia subito mortuus sit, eum Cholerae succubuisse, autument.

Saepissime nunc, Choleram esse morbum audimus, omnino similem Catarrho gastrico et intestinali acuto, quae post vomitus crebros et diarrhoeas profusas paucis horis mortem adducat. Ob ea, quae in oppido Ueckermuendensi vidi, huic sententiae nullo modo assentiri possum, immo rarissimo initium Cholerae fieri vomitu et diarrhoeis puto, et rarissime paucis horis morbum finitum esse. Inter eos quos curavi aegrotos, plerique profecto adspectum catarrhi gastrici acuti praebuerunt, semper tamen, exceptis decem casibus paullo accuratius inquirenti mihi evenit, ut unum vel quinque dies jam aegrotos diarrhoeis vexatos esse, experirer.

Credo igitur, morbum fere nunquam nisi a diarrhoea simplici initium capere; quae, quod dolores non adsunt ab aegrotis non modo negligitur, sed etiam bonum corporis purificationis signum habetur. Augentur deinde diarrhoeae, neque adhuc aegrotus valde debilitatur, ita ut ambulet, edat atque bibat, quidquid

place nihil mali sentiat; paullatim tamen, cum profusiores sequantur evacuationes, liquoris similiores corpus nimis debilitatum esse, aegroti sentiunt, metu ne cholera afficiantur, tandem lectum petunt, magnas infusi herbae Menthae quantitates bibere incipiunt, ventriculo reagente vomitus sequitur. Diarrhoeae interea non imminutae.

Tanta vero liquoris quantitate e sanguine transsudante, cum siti valde angantur, iterum vel aquae vel infusi tepidi magnas portiones bibunt, quae rursus ventriculo jam irritato evomuntur. Tum demum medicus advocatur, qui catarrhi gastrici acuti conspicit imaginem.

Itaque mea quidem sententia vomitus raro purum Cholerae symptoma, sed saepissime nimio bibendo vel imprudenti diaphoresi effectus; id, quod ea re demonstrari mihi videtur, quod inter 125 aegrotos apud 10 subito vomitum et diarrhoeas exorta esse, mihi persuasi, quorum adeo unus paullo antea cerevisiae nimis indulserat, puer, ni fallor sex annorum, cruda poma temere ederat, duabus feminis summus injectus erat terror. Quibus causis cum per se vomitus effici possit, restant sex inter 125 apud quos vomitus initio morbi apparuit.

Porro vero, plerumque artificialem esse vomitum, jam ex eo probari mihi videtur, quod aegroti, ubi necessariis persuasum erat, ut aquae loco contra sitim pilulas darent glaciales, vomere desinebant, et animum colligebant.

Quodsi diarrhoeae aptis remediis et in tempore

obstruuntur, aegroti etiamsi lente, recreantur. Si vero hoc primo diarrhoearum stadio praetermisso, morbus non cessit, aegrotorum adspectum et conditionem celerrime commutatam videmus. Diarrhoeas, olim biliosi coloris, nunc aquae — vel ut dici solemus: „Reiswasser" — similes retinere non possunt, oculi recedunt, vox rauca est. Mox etiam spasmi accedunt, i. e. contractiones musculorum suralium, summis doloribus conjuncti, quibus aegroti saepe jactati, ut acerrimum tollant clamorem, coguntur. Quae contractiones, quibus causis oriantur mihi non liquet. Sed qui dicunt, eas magnae liquoris quantitati e musculis deperditae originem debere, ii non recte observasse mihi videntur, quod intelligere non possum cur saepius, nullo modo jam magna liquoris quantitate perdita exstent et quo modo fiat, ut nulla alia corporis pars nisi surae spasmis vexetur. —

Ita liquore per totum corpus omnino exhausto, ubique sanguis obstruitur et densatur, quod praecipue ex eo colligitur, quod homines morbo implicati non sine maximo labore spiritum ducere possunt, quoniam per vasa capillaria sanguis lentissime fluit, acidi carbonici et oxygenii commutatio in pulmonibus valde impeditur.

Ita aegrotus in stadium algidum vel asphyxiam pervenit. Pulsus, qui jam antea in radiali vix observari poterat, in brachiali disparuit, pulsus cordis ipsius aegre potest animadverti, cutis propter circulationem impeditam frigore glaciali et sudore passim

lubrico obtecta, oculi genaeque concidunt; Respiratio difficillima, urina non secreta; diarrhoeae desierunt.

Diarrhoearum et vomitus stadium cum complures dies maneat, priusquam aegroti ad stadium algidum perveniunt, hoc ipsum fere semper uno die absolvitur; inter 82 aegrotos, qui in stadium algidum pervenerant, duo plus unum diem in eo retenti sunt.

Hunc fere cholerae cursum esse vidi in stadio diarrhoearum et asphyxiae. Attamen quae de singulorum stadiorum tempore et symptomatum vi modo dixi, plane aliter in tribus feminis sese habebant, quae incredibili angore, nimio mortis timore affectae, postquam rarae diarrhoeae apparuerunt, parvo temporis spatio intermisso, ad asphyxiae stadium pervenerunt, 12 dumtaxat horis post morti succubuerunt. Hunc perquam terribilem morbi cursum — nam neque vomitus accesserat neque diarrhoeae auctae erant — sola animorum excitatione adductum et inter ea referendum esse puto, quae supra dixi de momentis psychicis.

Si vero aegroti in stadio algido aliquando morati sunt, jam aut mors, aut valetudo completa vel incompleta sequitur.

Mors, ut ita dicam extrema asphyxia est, quod sanguinis circulatione paullatim magis magisque impedita cor jam rarius contrahitur cumque nulla causa ad novos irritetur motus, mox palpitare desinit. Sensim saepissime vita fugit.

Ter, nisi fallor, mortem inopinato, ut ita dicam, accessisse vidi. Aegroti enim, qui quamquam asphyxia vexati, satis bene se habuerant, de futuro cogitave-

rant, saepiusque edendi libidinem demonstraverant, subito collapsi sunt, ita ut mors paucis post momentis sequeretur. Quae nam sit causa hujus exitus tam subitanei, animo perpendens, hic agi de arteriarum pulmonalium thrombosi, arbitror, effecta longo temporis spatio, quo aegroti in stadio algido morati erant.

Si vero morbus ad valetudinem vergere incipit, haec, quae modo descripsimus symptomata, paullatim minuuntur, pulsus fit plenior et durior, temperatura augetur, respiratio, quoniam circulatio jam non impedita est, libera, secernitur urina, quae — etiamsi non semper albuminis aliquam partem continere solet; Adest interdum retentio urinae, quae non magni est momenti.

Reconvalescentia ita incepta, aegroti quamvis perdiu valde sint debiles, attamen mox ita recreantur ut lectum relinquere possint. Quo fortiores et validiores fiunt, eo magis anaemiae, tam gravi morbo effectae, symptomata recedunt, oedema vel hydropsia membrorum, color palidus, magna debilitas. —

Interdum haec valetudinis symptomata non paullatim, sed celerrime et vehementissime accedere dicuntur. Quod qui observaverunt et „reactionem acutam“ nominaverunt, num recte judicaverint, dubito; ipse quidem semel aegrotum, cujus pulsus jam deminutus erat, qui profusis jam et aquosis diarrhoeis laboraverat, subito valde excitatum vidi, pulsu pleno et duro et non multo post, dum conscientia abest,

mortuum, observavi. Quae commutatio, etiamsi su bito accidit, tamen hoc in casu nullo modo mihi morb ipso vel aegroti natura effecta esse videtur, sed cun a familiaribus, metu, ne aegrotus frigidus fieret, ca lidae potiones una cum alcoholicis ingestae lapides que ferventes corpori applicati essent, solum diapho resi tam dementer instituta, acutam hyperaemian cerebri itaque mortem effectam esse, arbitror, ita u num etiam alii casus, descripti „reactionis acutae" nomine, fortasse huic sint similes, dubitare liceat.

Aliter asphyxiam in valetudinem incompletam exire vidi.

Aegroti, etiamsi neque ipsis neque medico tam graviter affecti esse videntur atque antea, quoniam circulatione denuo instituta jam liberius respirare possunt, spasmis non vexantur, tamen iterum diarrhoeis quae in asphyxia desierant, laborant; At non sunt ejusdem generis, sed coloris viridis, consistentiae aquosae, odoris foetidi; quo in stadio neque morbi impetum denuo accidere, neque exitum lethalem appropinquare, unquam observavi. Valetudo enim, etamsi tarde semper tamen accedit. At vel sine illis evacuationibus apud nonnullos aegrotos incredibilem remanere vidi debilitatem, ita ut per aliquot hebdomades in lecto manere cogerentur, quod deerant vires, ut vel paullulum sese attollere possent. Ita inter feminas, quas curavi, una post quinque hebdomades eo solum venerat, ut aliquo cum labore lectum relinquere et per aliquod tempus in sella se-

lere posset. Neque tamen ullum signum, esse ali quod corporis organum commutatum, aderat.

Sequuntur vero stadium algidum etiam valde variae affectiones, inter se diversae, quae quod similitudinem quandam praebent cum hoc vel illo typhi abdominalis stadio, typhus cholerae vel typhoides nominatae sunt.

Inter aegrotos 18, qui in hoc stadium pervenerant, ea typhi forma plerique et quidem 16 affecti sunt, ut postquam stadium algidum superavissent, tranquilli, conditione qua essent, non contenti, in lecto jacerent, non jam melius de se agi, sentirent, nocte somnum non invenirent, doloribus capitis vexarentur. Quod cum per aliquot dies mansisset, symptomata subito increscere coeperunt, ita ut, doloribus capitis auctis, jam adesset sopor, aegrotusque delirare inciperet, conjunctiva bulbi injecta, pulsu pleno et lentissimo. Quo tempore nisi celerrime auxilium allatum est, mors lente appropinquavit, symptomatibus modo descriptis semper auctis. — Quarum rerum quae sit causa, interrogatus, hyperaemiam esse cerebri, arbitrer, id quod et therapiae antiphlogisticae, frigore et hirudinibus applicatis, bono effecta, et pulsu lento plenoque et comu demonstrari mihi videtur, ita ut iis, qui uraemiam esse autument, assentiri non possim, praesertim cum etiamsi esset interdum retentio urinae, nunquam inventa sit oppressio, et aut catheterismo vel kataplasmatibus tepidis evenerit, ut efflueret urina. Accedit, quod albumen non inventum est.

Quodsi, quonam alio modo typhus cholerae appa-ruerit quaeritur, febris intermittentis speciem prae-buisse, vidi. Dum enim hoc vel illo diei tempore exacerbationes pulsus, saepe deliria, adsunt, subit remissio sequebatur, ita ut aegroti quamvis valde fatigati conscientiam haberent, pulsum lentum et tranquillum praeberent.

Tribus etiam in casibus, id quod dicitur exan-thema Cholerae observavi.

Fuerunt enim epidermidis hyperaemiae, magni-tudine ciceris vel oboli; neque tamen, id quod non-nulli autumant, cum illae appareant, exacerbationem vel remissionem morbi adesse, concedere possum; immo, idem ullius esse momenti, nego, sed eo-dem modo cutis morbum esse credo, effectum circulatione impedita in stadio algido, atque vel cerebri, renum, pulmonum commutationes ind... exoriri possunt.

Id quod mihi praecipue hoc casu demonstrari posse videtur, quo et nullam prodire commutatio-nem morbi, ubi adsit exanthema, et vel leviores exanthematis formas graviores anteire posse, intel-ligetur.

Mulier Sarkowski, 35 annos nata, postquam satis longa asphyxia feliciter superata, per aliquot dies viridi vomitu vexata est, dum excrementa soli-tam praebent et formam et consistentiam, denique morphio acetico iis liberata erat; attamen cum ve-spere pulsus augeretur et doloribus capitis affecta nocte dormire non posset et deliraret, valde incon-

tenta erat, quamquam mane satis bene se habere solebat. At neque chinii sulphurici parvis dosibus ordinatis, neque cum subito exanthema, formae supra descriptae appareret et in toto corpore conspiceretur aegrotae statum ad melius se vertere cognosci potuit.

Dum exacerbationes et remissiones eaedem manent, tribus post diebus disparuit exanthema hyperaemicum, sequebatur bullosum, ita ut bullae, paullum in cute elevatae per totam corporis superficiem apparerent, quae dilaceratae, liquorem serosum effluere sinerent et mulier — quae statim nympharum oedemate afficiebatur — valde pruritu vexata, scabendo magna epidermidis frusta de brachiis vel manibus detrahere posset. Quinque diebus praeterlapsis jam bullae disparuerant una cum oedemate, applicatis aceti plumbi fomentis; ita ut aegrota jamjam sese melius haberet, praesertim cum majoribus chinii dosibus ordinatis, jam nocte dormire posset, edendi libido rediisset, dolores capitis fere omnino desiissent, cum subito novo cutis morbo affecta est. Parvuli furunculi per totum corpus disseminati. Aegrota, non nisi doloribus vexabatur, quod thyphi symptomata jam recesserunt. Octo diebus post, remediis roborantibus ordinatis, cum vel furunculi disparuissent, aegrota jam non aegrota nuncupari potuit, postquam ita per quinque fere hebdomades lectum non deseruit.

Prognosis.

Quod cholerae asiaticae prognosis adhuc semp est infaustissima — nam raro aegrotorum numer dimidio minor morti succumbit — admirari non pos sumus, quoniam etsi, multum a medicis in prim stadiis effici posse constat, tamen, primis stadi vulgo neglectis, semper serius medicus advocatur.

Sequetur hic parvula quaedam tabula, ex qua qui a me curati sunt, quo in stadio curandos susce perim, quo in stadio sanati vel mortui sint, cogno scetur. Numero 1 iis significatis, qui simplicibus di arrhoeis affecti erant, numero 2 eos qui una cum aquosis diarrhoeis, vomitu laboraverunt, apud quos pulsus jam diminutus erat, designavi; Numero 3 stadium algidum, 4 typhum, 5 ita dictam reactionem significari volui. Praetermittere tamen non possum, quin, quam difficile sit, commemorem, satis accurate discernere, num qui primo in stadio curandus susceptus est, diarrhoeas viro cholerae an alio modo acquisiverit; quod quamquam levissimus casus apparuit, tamen exitus lethalis sequi potest. Quam ob causam, etiamsi, qui omnes diarrhoeas, epidemia exortas, viro cholerae effectas esse autumet, haud errare, arbitror, tamen stadio 1 eos solum enumeravi aegrotos, apud quos post simplices diarrhoeas eadem remanserat debilitas, atque si stadium algidum superavissent.

Primo (1) stadio suscepti sunt 23, quorum fuerunt mares: 6.

quorum manserunt in		mortui	sanati
stadio 1	4	—	4
pervenerunt in 2	—	—	—
— — — 3	2	2	—
— — — 4	—	—	—
— — — 5	—	—	—
		2	4

feminae: 17.

quarum manserunt in		mortuae	sanatae
stadio 1	5	—	5
pervenerunt in 2	5	—	5
— — — 3	5	4	1
— — — 4	2	1	1
— — — 5	—	—	—
		5	12

Stadio 2 recepti sunt 72, quorum fuerunt mares: 39.

quorum manserunt in			
stadio 2	12	—	12
pervenerunt in 3	21	14	7
— — — 4	5	2	3
— — — 5	1	1	—
		17	22

feminae: 33.

quarum manserunt in			
stadio 2	16	—	16
pervenerunt in 3	13	10	3
— — — 4	4	—	4
— — — 5	—	—	—
		10	23

Stadio 3 recepti sunt 28, quorum fuerunt mares: 10.

quorum manserunt in			
stadio 3	9	9	—
perven. in 4	1	1	—
		10	—

feminae: 18.

quarum manserunt in			
stadio 3	14	12	2
perven. in stadio 4	4	2	2
		14	4

Stadio 4 suscepti sunt duo quorum fuit alter mas, altera mulier, qui morti succubuerunt.

Quodsi ex hoc, quae nam sit sexuum mortalitas singulis stadiis respicimus, hoc inveniemus.

Curati sunt:

marium			
stadio 1	4	0	4
— 2	12	0	12
— 3	32	25	7
— 4	7	4	3
— 5	1	1	0
	56	30	26

feminarum			
— —	5	0	5
— —	21	0	21
— —	32	26	6
— —	11	4	7
— —	0	0	0
	69	30	39

Si vel ad infantium aetatem respicimus, omnin 42 curatos esse, declaro quorum fuisse puellas: 1 pueros 28.

Suscipiebatur stadio 1:

		mortui	sanati
puer 1	1	—	1

		mortuae	sanatae
puella 0	0	0	[illegible]

Stadio 2 pueri 22

quorum manserunt in			
stadio 2	6	0	6
pervenerunt in 3	14	9	5
— — — 4	2	1	1
		10	12

puellae 10

quarum manserunt in			
stadio 2	6	0	6
pervenerunt in 3	4	3	1
— — — 4	0	0	0
		3	7

Stadio 3 puerorum 4

quorum manserunt in			
stadio 3	3	3	0
pervenerunt in 4	1	0	1
		3	1

puellarum 4 suscepti sunt

quarum manserunt in			
stadio 3	3	3	0
pervenerunt in 4	1	1	0
		4	0

Stadio 4 puer 1

receptus est	1	1	—
puellarum 0	0	0	0

Quodsi vel hic quae sit ratio eorum qui singulis in stadiis sint sanati aut mortui, quaerimus, hoc inveniemus

pueri:

stadio 1	1	—	1
— 2	6	—	6
— 3	17	12	5
— 4	4	2	2
		14	14

puellae:

stadio 1	0	0	0
— 2	6	—	6
— 3	7	6	1
— 4	1	1	0
		7	7

Prognosin ergo, ex stadio, quo medicus apelletur faciendam esse apparet, quo leviora sint symptomata eo faustiorem, quamquam vel etiamsi non nisi simplicibus diarrhoeis quis laboret, haud certo

utrum sanetur an moriturus sit, autumari possit. Sexuum et aetatis quoad mortem, non magnam esse videmus differentiam, quod etiamsi feminae et infantes non ita morti expositi esse videntur, atque mares, parvula haec tabula mihi non ita multum probare videtur. —

Therapia et prophylaxis.

Quodsi jam his plus satis, quam parum therapia nostra prodesse possimus, intelligi potest, praeterea vel id bene observandum est, num fortasse, qui effectum hujus, vel illius remedii nimis laudaverit, solum illud: „post hoc, ergo propter hoc" secutus sit; ita ut quod aegroti natura factum est, id solum medicamentorum vi effectum esse, autumet. Duos enim observavi aegrotos, a collega Dr. Stimpel et a me sorti relictos, quorum alter medicamentorum loco serum lactis, altera cerevisiam acidam bibisset, qui quamvis in stadium algidum pervenerint, adhuc valent.

Ex quo igitur, etiamsi choleram esse morbum cyclicum, ut pneumoniam, intelligi potest, tamen hodierno tempore neque humanum neque callidum mihi esse videtur omnino abstinere medicamentis in cholera curanda.

Attamen, cum ex tabula, supra conscripta, fere dimiduum aegrotorum morti succumbere intelligi potest, tum medici, vel humanissimi et diligentissimi multo minus efficient, nisi a magistratibus strenuis et prudentibus adjuvantur, quoniam, prophylaxi neglecta,

medici corpora aegrotis visitandis, superandis superstitione, stultitia, avaritia, animum atque mentem frustra perdent!

Quam ob causam, ubi cholera asiatica ad aliquem locum appropinquat, nihil magistratibus antiquius habendum est, quam ut loca, quibus hominum dejectiones colliguntur remediis desinficientibus tractentur.

Quod a multis magistratibus praescripta ad prophylaxim vel rationes sese gerendi, si quis morbo afficiatur, publicantur, ex iis quae in oppido Ueckermuendensium observavi non satis reprobari posse mihi videtur, quod damnum iisdem paratum multo majus est, quam utilitas praebita. Postquam enim per domos libelli distributi sunt, quibus incolae, ut valde caverent, ne nimis cibi vel potus sumerent, admonebantur, ut porro, si quis morbum se acquisivisse intelligeret, infusi Menthae aliquam partem sumeret, homines stulti et securi omnino neglexerunt, qui vero paullo fuerunt timidiores vel cautiores, subito vivendi rationem omnino commutare inceperunt, ita ut loco ciborum bonorum solum fere infuso illo Menthae alti, non solum debilitarent, sed etiam disponerent corpus ad morbum terribili modo. Si vero morbo ipso afficiebantur, id, quod supra dixi effecerunt; bibendis magnis infusi quantitatibus vomitum excitaverunt, morbum non pacaverunt.

Quodsi omnino hujus modi praescripta publicanda esse videntur, omnes iis solum admonendos esse puto, ut eandem quam semper habuerint diaetam

semper servent, ut omnes abstineant remediis domesticis, hoc tempore summo cum clamore divulgatis et commendatis, ut, ubicunque quis diarrhoeam vel levissimam acquisiverit, illico medicum advocet.

Cadavera quam celerrime e domibus avehenda, lecti et vestimenta mortuorum illico desinficienda. Nosocomia, nonnullis locis solum ad recipiendos aegrotos, cholera affectos, instituta, etiamsi ad conservandos familiares et eos, qui eandem habitant domum multum prodesse possunt, tamen aegrotis ipsis non ita magnae sunt utilitati, quoniam remotione e domo et psychice et physice multum nocetur. — Quae res si omnes a magistratibus strenuis perficientur, nunquam profecto permultos epidemiae succubituros esse credo. —

Novissimo tempore, inter alia ista remedia prophylactica libellis publicis commendata, vel inoculationes quassiae vel ratanhiae commendatae sunt. Quae quid valeant, etiamsi, quod ipse easdem non institui, dicere non possum, tamen Dr. Brand Sedinensem, qui magni eas esse effectus, quod eorum quos inoculavisset, nemo esset mortuus, autumet, errare puto, quoniam in oppido cujus incolae sunt 80000 fortasse illi vel omnino non acquisivissent choleram et quod ibidem in nosocomio inoculationes institutae a Dr. Mohaupt, ne minimum quidem habuerunt effectum, immo inoculati non solum morbo affecti, sed etiam mortui sunt.

Quare etiamsi, quod attinet ad medicinae scientiam, inoculationes omnino rejiciendae esse videntur,

tamen et quod nihil nocent, et quod multum ad animos pacandos afferre possunt, nihil obstat, quominus adhibeantur.—

Quod attinet ad therapiam cholerae ipsam, profecto symptomatica solum esse potest; diarrhoeae et vomitus, circulatio impedita, morbi insequentes oppugnandi sunt.

Contra diarrhoeas et vomitum cum saepe et adhibita et recommendata sint diaphoresis, argentum nitricum, opium, Ipecacuana, nux vomica, omnia adhibui, attamen exceptis opio et nuce vomica nullum effectum habuisse vidi.

Diaphoresis quae laicis unicum et specificum remedium contra choleram esse videtur itaque ab iis acerrime et vehementissime instituitur, vel a me primo tempore commendata, ne minimum quidem profuit.

Fortasse, si omnino diarrhoeam refrigeratione exortam esse, satis constat et demum tum, si illico efficitur, nec paucis diebus post, aliquo erit effectu.

Aliter profecto multo plus nocet, quam prodest, et quod, jam supra immoderate bibendis infusis vomitum facillime excitari vidimus, et quod summa saepius ea exoritur excitatio, ita ut in oppido Ueckermuendensium bis, mortem, quae hyperaemiae cerebri symptomatibus apparuit, solum diaphoresi effectam esse, mihi persuaserim, quorum de altero jam supra locutus sum, alteri, quod semel diarrhoeam habuerat, ab uxore anxia, obtecto permultis toris et vestimentis, magnae infusi calidi quantitates ingestae erant; Paucis horis post interiit.

Argentum nitricum, quod item primo saepius adhibui, item nihil efficere vidi; quod tamen respiciens effectum hujus remedii aliis in locis, non tam ei ipsi, quam formae, qua ordinari potuit, tribuendum esse puto, quoniam solutio aquosa et, cum corrigentia saporis addere non liceat, saporem tam perversum praebet, ut jam sic vomitus excitari possit, et via longa per os, pharyngem, oesophagum jam ita decomposita sit, ut num quid nisi argentum chloratum in ventriculum perveniat, dubium sit, pilulae vero, quod non tam celeriter solvuntur, haud recte adhiberi possunt.

Quod attinet ad opium et nucem vomicam fere semper iis aliquid contra diarrhoeas effici posse, vidi, ubi iusto tempore appellatus sum, quo tamen copiosiores et liquoris similiores dejectiones, eo rarius aliquid profuerunt. Adhibere solebam Tct. opii simplicis gtt. 8 cum Dec. rad. Salep vel opii puri gr. $\frac{1}{2}$ pro dosi, nullo modo additis remediis aromaticis, quae quid efficere possint contra diarrhoeas intelligere non possum. Inter nucis vomicae praeparata extractum spirituosum aliquo cum effectu ordinavi.

Ut vero horribilis vomitus, quo et aegroti vexantur et familiares, quod tam multum unus suorum perpetitur, affliguntur, aliquo modo pacaretur cum ex iis, quae supra exposui optimum mihi esse videretur, omnino aegrotis defendere potiones vel frigidas vel tepidas, saepissime, si consanguineis persuadere potui, ut aegroto non nisi sexta quavis horae parte darent pilulam parvam glacialem vel cochleare

parvum aquae recentis, accidit, ut hi ipsi bonum effectum laudarent. Quamvis enim aegroti valde siti vexentur, i. e. summa cavi pharyngis exsiccatione tamen frigore pilularum glacialium eodem modo levantur, atque si aquam immodice ingerant, ita ut si quis crudelis esse aegrotos ita siti vexare autumet, eodem jure mihi illum, qui potiones permittat crudelitatis accusare liceat, quoniam vomitu, si immodice bibunt, aegroti magis et excitantur et vexantur, quam siti. Sapientibus ergo hominibus mox, crudelitatem non adesse, persuasum erit.

Ubi vero pulsus jam deminuitur quoniam narcotica, ne collapsus adjuvetur, non tam magnis dosibus dari posse per se intelligitur, sed jam esse ordinanda excitantia, etiamsi saepe mihi vinum vel spiritus sacchari profuerunt vicissim cum narcoticis, tamen etiam medicamenta excitantia haud contemnenda esse mihi videbantur, ita ut bono cum effecto hanc saepius adhiberem formulam:

℞ Opii puri gr. $\frac{1}{4}$
Extr. nuc. vomic.
spirit. gr. $\frac{1}{8}$
Camphor. trit. gr. 1
M. f. Pulv. D. ad chrts. cerat.
Dispens. tal. dos. numero 8.
Ds. 1-2 horis sumatur pulvis.

Si vero stadium algidum omnino adest, quae collapsum celeriorem adducerent, narcotica praetermittenda, excitantia magnis dosibus adhibenda sunt; tum quidem haud multum interest, utrum coffea

cum spiritu sacchari vel vinum an Moschus, Camphora ordinentur, quod malus sequitur plerumque eventus, et ubi quis superet asphyxiam, id non tam medicamentis, quam natura effectum esse videtur.

Post stadium algidum, si remanent virides illae dejectiones, Hydrargyri chlorati mitis gr. 1 una cum parvulis opii dosibus libenter dedi, dum quod invasione morbi ipsa semel malo adhibui cum effectu, ne porro tum adhiberem, commotus sum.

Si vero vomitus solum adest post stadium algidum, morphium aceticum (gr. $\frac{1}{12}$—$\frac{1}{6}$) per horas eodem modo recommendandum esse mihi videtur atque ejusdem remedii injectio subcutanea in regione epigastrica, quam etiamsi semel bono cum effectu adhibuimus, tamen famis deinde in oppido divulgatis ne porro institueremus, commoti sumus.

Spasmi tamen, symptomata illa, quibus praecipue vexari mihi videntur aegroti, nullo modo oppugnari posse mihi videntur, quod etiamsi frictionibus spiritus saponati vel sinapismo applicatis recedere videntur, eodem modo atque ante apparent. Doleo, quod vel hic injectionem subcutaneam adhibere non potui. —

Asphyxia vero superata, etiamsi non adsunt dejectiones virides vel vomitus perpetuus, tamen aegrotus bene observandus est; si enim, quamquam morbum tam gravem feliciter superavit, tamen non sane contentus, nocte dormire non potest, irritatione quadam vexatur, affectus est capitis doloribus, kataplasmata frigida in capite una cum parvis Hydrar-

gyri chlorati mitis dosibus adhibenda sunt. Doleo enim quod aegrotorum primus qui pervenit in typhum morti succubuit, quoniam symptomata typhi incipientis, magna post morbum tam gravem debilitate effecta esse, ratus sum; cum vero mox deliria, stuporem, ne multa typhum horibilissimum adesse, cognovissem posterioribus temporibus imminens periculum saepius a me aversum esse credo. Quodsi augentur symptomata, si adsunt aut deliria aut stupor una cum conjunctivae injectione, pulsus durus et lentus, cum auctis dosibus Hydrargyri chlorati mitis et hirudines post aures applicandi sunt, et vesicae animus advertendus est, Catheterismus instituendus, quoniam retentionem urinae saepius adesse vidimus.

In typho, qui febris remittentis praebuit imaginem, magnis Chinii sulphurici dosibus multum effici posse, vidi.

Dum ad valetudinem redire incipiunt aegroti, summas esse observandas cautelas quod attinet ad vestimenta, negotia, cibos, et si longa remanet debilitas roborantia adhibenda, per se intelligitur.

De hydrotherapia et de frictionibus glaciei institutis in nosocomiis Berolinensibus quamquam propter summum incolarum horrorem, nihil expertus sum, tamen quod trium aegrotorum, a medico ibi habitante ita curatorum, duo mortui sunt, apud tertium diarrhoeae obstructae non ita multo post redierunt, ut frigus in Cholera adhiberem, me non valde commotum esse, profiteor.

Haec quidem ex iis quae observavi commemoratione digna esse videntur.

Denique praetermittere non possum, quin hoc loco magistratibus Ueckermuendensium quod tanta severitate, tanta strenuitate quae ad prophylaxin necessaria esse videbantur, perfici jusserunt, gratias agam.

Collegae vero Dr. Stimpel, qui et benevolentia et amicitia me valde adjuvit, semper gratiam habebo.

VITA.

Natus sum Franciscus Theophilus Alexande Patrzek Sedini, Id. April. anno h. s. XLIV. patre Joanne matre Carolina e gente Christen, quos adhuc super stites pio animo veneror.

Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Sedinens directoribus Hasselbach, Peters, Heydemann, fre quentavi. Vere anni LXII. h. s. testimonio maturitatis or natus, almam hanc Gryphiae litterarum sedem petivi atqu a Rectore magnifico Ill. Baumstark in civium academ corum numerum receptus, apud Ill Budge, gratiosi med corum ordinis t. t. Decanum nomen rite professus sun Ubi cum sex semestria moratus essem Herbipolim m contuli, et ab Ill. Albrecht civium academicorum ordi adscriptus sum. Post duo semestria ad hanc almam Gr phiam redii ubi iterum Rectore magnifico Ill. Baur stark, apud Ill. Bardeleben, gratiosi medicorum ord nis t. t. Decanum nomen professus sum.

Per septem semestria hic Gryphiae disserentes secutus sum:

Ill. George: de psychologia et anthropologia; de logic
Exp. Jessen: de botanice.

Ill. Ziemssen: de encyclopaedia et methodologia medicinae.

Ill. Limpricht: de chemia anorganica, organica, physiologica, idem mihi dux fuit in exercitationibus analyticis.

Ill. Münter: de zoologia.

Ill. Hünefeld: de geognosia atque geologia: de oryctognosia.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali.

Cel. Schwanert: de chemia pharmaceutica; de chemia organica atque anorganica theoretica.

Ill. Schultze: de osteologia et chondrologia, de angiologia et neurologia, de anatomia et physiologia comparata.

Ill. Budge: de osteologia, syndesmologia, splanchnologia et myologia; de physiologia universali; de physiologia organorum sensuum; de arte cadavera rite dissecandi; idem mihi dux fuit in exercitationibus microscopico physiologicis.

Exp. Landois: de embryologia.

Ill. Grohe: de pathologia et therapia generali et anatomia pathologica generali, de anatomia pathologica speciali, de exercitationibus in anatomia pathologica.

Ill. Laurer: de materia medica, de arte formulas rite concinnandi, de arte fascias rite alligandi.

Exp. Heineke: de morbis syphiliticis, de morbis abdominis, de fracturis et luxationibus.

Exp. Schirmer: speculi ocularis usum tradidit.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de politia medica.

Ill. Rühle: de pathologia et therapia speciali; de morbis nervorum.

Ill. Pernice: de arte obstetricia, de morbis mulierum; idem mihi dux fuit in clinico obstetricio.

Ill. Mosler: de pathologia et therapia speciali; idem mihi dux fuit in clinico medico.

Ill. Bardeleben: de chirurgia, de akiurgia, de operationibus in cadaveribus instituendis, idem mihi dux fuit in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Herbipoli duobus semestribus hisce interfui scholis:

Ill de Welz: de clinico ophthalmiatrico.

Ill. de Tröltsch: de otiatrice.

Exp. Dehler: de akiurgia et arte fascias rite alligandi.

Ill. Geigel: dux fuit in clinico propaedeutico et in policlinico.

Ill. de Bamberger: dux erat in clinico medico.

Ill. Linhart: dux fuit in clinico chirurgico et in operationibus in cadaveribus instiduendis.

Ill. Scanzoni de Lichtenfels: dux fuit in clinico obstetricio et gynaecologico.

Quibus omnibus, valde de me meritis, quam maximas agere gratias juvat.